



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Speculum Non Fallax**

**Segneri, Paolo  
Pinamonti, Giovanni Pietro**

**Coloniæ, 1706**

**VD18 12375713-001**

Necessaria est gratia actualis;

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50799](#)

sempiternus horror inhabitat. Job. 10.  
22. Pura puta nimisum miseria, vilior  
quam ipsum nihil.

## PUNCTUM II.

*Necessitas gratiae actualis.*

II. Considera, hic nondum sistere  
cynopiam tuam, cum præter  
gratiæ sanctificantem actuali etiam  
gratiæ summè indigeas. Ut quis clare,  
ac benè videat, satis non est, oculum  
esse sanum, sed opus etiam luce, quæ  
illum excitet, & juvet in formanda  
visione: sic, ut operari quis utiliter pos-  
sit, non est satis, animam esse sanam,  
& gratiæ habituali instructam, sed re-  
quiritur insuper auxilium supernatu-  
rale, quod intellectum illuminet, at-  
que excitet voluntatem. Absque isto  
auxilio, & cum concursu D E I  
merè generali, ordini naturæ pro-  
portionato, fieri quidem potest  
quædam operatio moraliter bo-  
na, quæ non sit admodum ardua,  
tota tamen lex cum eo observari

B 2 non

non potest, nec difficultates graviores superari; non secus, ac infirmus movere se quidem aliquantulum potest; eas autem actiones quæ maiorem conatum & robur requirunt, facere non potest. Accedit, quod ea ipsa opera, quæ cum concursu merè generali fiunt, nihil omnino nobis serviant, neque disponere nos possunt ad gratiam sanctificantem, aut gloriam obtainendam; cùm enim media quanda cum fine suo proportionem habere debeant; fieri non potest ut, quæ sunt ordinis merè naturalis, ad finem supernaturalem, totoque genero altiorum disponant. Quid, quæso, amplius dici possit ad demonstrandam tibi impotentia tuæ abyssum? Ecce enim solis naturæ viribus, et si illas à te & non à DEO haberet, non potes facere quidquam boni, quod mereatur aut disponat ad vitam æternam, *sine me nihil potestis facere*, ut ait DEUS ipse: Joh. 15. 4. non potest levissimam etiam tentationem vincere, vi-  
ctoria

Etiorā Cælo dignā; non potes forma-  
re cogitationem aut piūm animi mo-  
tum, qui salutis tuæ initium faciat:  
verbo, in tota tua potestate non habes  
aliud, quām nihil, & peccatum, qui  
est Articulus Fidei definitus in Conci-  
lio Arausidiano, Sect. 7. nemo habet de  
suo, nisi peccatum & mendacium. Infan-  
tulus, cùm in sordibus est, mundare se  
non potest; dum labitur, non potest  
se erigere; cùm stat, non potest se fir-  
mare; cùm friget, non potest se cale-  
facere; cùm esurit, non potest se pa-  
scere; cùm impugnatur, non potest  
se defendere, imò nullum indigentia  
suz subsidium petere potest, neque e-  
tiam discernit, aut novit, quid sibi  
prosit; sed necesse est, ut in his omni-  
bus à matre adjuvetur, secus, auctum  
est de illo. Talis omnino, & longè  
miserabilior est tua conditio: & potes  
adhuc locum dare elationi, ac super-  
bia? Rue igitur in collum amantissi-  
mæ tuae matris, hoc est divinæ gratiæ,  
stringe illam arctissimè, & roga inti-

30      *Speculum non fallax.*  
mo cordis affectu , ne te deserat ; Non  
me derelinquas usque quaque ! Ps II 8. 8.

## PUNCTUM III.

*Necessitas gratia finalis.*

III. **C**onsidera, magis semper ma-  
gisque detegi indigentiem  
tuam , cum continuo Divinæ gratiæ  
auxilio non solum ad inchoandum,  
sed etiam ad prosequendum & con-  
summandum omne opus bonum sum-  
mè indigeas; maximè autem ad perse-  
verantiam finalem, qui est summus dei  
favor , mittens nos in possessionem  
felicitatis æternæ : *Sicut operatus*  
*Deus, ut accedamus, sic operatur, ne re-*  
*cedamus, ait S. August. l. 2. c. 7. de Bo-*  
*no persever. Diu benè vixisse , ma-*  
*gnam sibi virtutem parasse , grandia*  
*pro DEO egisse , salutis securitatem*  
*nobis non præstat , absque novo gra-*  
*tiaæ dono ; & quamvis quis possit cœ-*  
*lum de condigno mereri , perseveran-*  
*viam tamen condigne mereri nemo*  
*poteat;*